N.V. Constantino Hugenio Equiti,
Zuilichemi Domino etc
S. P. D.
Isaacus Gruterus

Vir Nobilissime

Non perfunctoriè tua sunt tractanda, ut inter
remissiones laxius feriantis animi. Curas posuis,
quae intentionis aciem abrumpi non sinunt; et pas
cis eam admirabili fruge, ut oblectamenta ad-
ferens ignaris, intexitque occulto artificio utilia
suavibus. Ea vis est promptae et argutae indolis,
ut illa nunquam te deserat, quodcunque delegeris
stilo poëtico argumentum. Non provocabo ad pri-
dem lecta publicè: vel nuperae fortunae libellus
addocebit. Quis opinione praecepisset, ex
stratâ per arenas viâ, sterili materiâ, natum po-
tuisse poëma omni arte genio instructum? seu
dicto spectetur, ubere et perenni è fonte pro-
fluens; seu conceptuum ingeniosè variata facie,
et suis quasi ἐπεισοδίοις pulcherrimè distincta.
Istis tamen naturae meam dextre tibi concilian-
tibus

© Stadsarchief Rotterdam
Handschriftenverzameling Rotterdam, 33-01_536
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0474

tibus dum lector serius inhaereo, in versiculo cla-
rissimis verbis concepto reperi quod captum meum,
ex mediocrium genere, exercuit et fugit. Erat enim
ibi quod aliquo splendori nebulam apud me spar-
sit, tua face discutiendam: si grave non est allu-
sionis velum levare, et non valde oculatae inter-
pretationem allucere. Accederem autem si pateris,
quo sermone Heroicum et grande opus meditari
dicitur Capelanus, in aula forsan Gallica tibi
notus, et iterum, quot omnibus numeris carmen
absolvunt, summe gravis: et ubi excusa Chri-
stiani filii poëmata: cum varie quaesita omnem
eludant curam diligentissimae indaginis, beneficium
praestiteris, observantiam ubique memorem exprompturo. Vale. Roterodami ex Erasmiano. XIV. Novembris.
postridie Idus. CIↃ IↃCLXVII.

Versus de quo supra egi, extat pag. 4.
God heeft het midden op den middag willen
kroonen.

2
7
6
8 4 (3. M. 6. dnijm
2 6

4
3. 6
1 20

© Stadsarchief Rotterdam
Handschriftenverzameling Rotterdam, 33-01_536
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0474

Mijn Heer

Mijn Heer Constantin
Hugens Ridder, Heer
van Zuilichem etc.
woont in

port

'sGravenhaag.

…ie in haer

© Stadsarchief Rotterdam
Handschriftenverzameling Rotterdam, 33-01_536
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0474